



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

De S. Catharina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

deris, gratiarum suarum thesauros in te omnes *Eccl. 20.*
congeret. *Est qui multa redimat modico pretio, 12.*
Et restituens ea in septuplum.

DESANCTA CATHARINA. 25. Nov.
PUNCTUM PRIMUM.

Perpende primam omnium virtutum & alia- Virgo.
rum fontem, quæ in S. Catharina eluxerunt
fuisse virginitatem: quæ cum in ea eximia fue-
rit, ita cœlestia illa dona attulit, quæ hanc cœ-
lestem virtutem comitari solent. Hæc porro vir-
tus quanta sit in genere, ex eo cognoscere pos-
sumus. 1. Quod homines Angelis similes effici-
at, vel potius superiores. Nam *Angelicam glori- Chryf.*
am acquirere majus est, quam habere: esse Ange- ser. 143.
lum felicitatis est, Virginem esse virtutis. 2. Quod
virgines singulari quodam præ cæteris amore
Christus diligit. Nam *Sequuntur agnum, quo- Apoc.*
cunque ierit. 3. Quod hæc virtus unigenitum 14. 4.
è sinu Patris allexerit. *O quanta est virginita- Ambr.*
tis gratia, que meruit à Christo eligi, ut esset cor-
porale Dei templum, in qua corporaliter habitavit
plenitudo divinitatis!

Quod si tam insigni forma, ætate fragili, so-
licitantibus Imperatoris amoribus, heroïcam
illam virtutem S. Catharina conservare potuit:
nonne corpus virgineum, castamque mentem
servare poterimus? Sed cogita virtutis hujus
nitorem levissima labe violari.

PUN-

PUNCTUM II.

Doctōrū
magistra

Castissimam S. Catharinæ mentem, utpote dignum cœlestis doctrinæ habitaculum, infusa à Deo scientia mirabilis decoravit, & Doctōrum ei aureolam in cœlo peperit. At quam fuit illa doctrina ad procurandam Dei gloriam efficax, quæ tot infideles Christi nomini prius insensissimos, tot Philosophos suæ ætatis sapientissimos ab erroribus ad Christi fidem convertit, & invicta constantia ad martyrium roboravit. O quam admirabilis es Domine, qui sic *infirma mundi eligis, ut confundas fortia!* An verò Catharinam imitamur? An piis colloquiis & cohortationibus Christi doctrinam data occasione pietatēque pro viribus promovemus? In quo vide. 1. Ut verbis tuis facta respondeant, nam *Docere & non facere non modo lucri nihil, sed & damni plurimum confert.* 2. Ut orationibus tuis Spiritum Sanctum advoces, qui audientium mentes illuminet cordaque accendat: nam *Nisi Spiritus Sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctōris.* 3. Ut non tuæ, sed Christi gloriæ consulas, *Lacryma auditorum laudes tuæ sint.*

1. Cor.
1. 22.

Chrys. de
Comp.
cord.

Gregor.
hom. 30.
sup. Eu.
Hier.

PUNCTUM III.

Martyr.

Salutaris doctrina & inconcussa virginitas martyrii palmam post crudelissima tormenta S. Catharinæ pepererunt. Ubi enim vidit Maximinus frustra esse Philosophorum scientiam blanditiāsque suas & promissa, virginem

ver-

verberibus plumbatisque caesam dies undecim
absque cibo & potu tenet in carcere: quo in-
gressi Porphyrius belli dux & ipsa Maximini
uxor, ab eaque ad Christum conversi martyrio
coronati sunt. Tum rotæ imponitur crebris
& acutis præfixæ gladiis, qua contracta, securi
percutitur. Hic & invictam puellæ fortitudi-
nem & tuam ignaviam admirare, quem inanis
hominum respectus à Christi fide, moribus tu-
is profitenda, sæpe abducatur. Deinde vide,
quàm facile possis passionum mortificatione,
quasi lento martyrio, sacrificium de te perpe-
tuum offerre. O quoties in die mori
sic pro Christo possu-
mus!



PRO

refor-
natur in